



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniae, 1658**

§. 18. Iterum ergo interrogavit eos. v. 7.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45556**

ris. Iudas ergo & societas eius, quoniam improberant, capaces erant terro-  
ris & ruinæ à Deo. at discipulis laborantibus bono animo in remigando  
exobedientia, idem verbum auditum solatio fuit.

**D**eus meus cupio esse in societate eorum qui per verbum tuum ego sanus  
animentur, non conturbentur. Cupio esse in numero discipulorum remi-  
gantium, non autem te nequiter tentantium & prodentium; ne verbum  
tuum sit mihi causa ruinæ, sed consolationis.

§. 18. Iterum ergo interrogavit eos. v. 7.

Erectos à terra & sanos, inimicos tamen Principes Iudæorum, qui  
aderant eorumque ministros, Iudam discipulum suum, sed proditorem, &  
militem, perpetrato & viso hoc insigni miraculo. potentia suæ in ipso, ut  
magnitudinem cæcitas eorum in medium proferret, iterum interrogavit,  
vel nunc errorem suum vellent corrigere & tandem aperirent oculos men-  
tis suæ, & agnoscerent divinum quid esse in hoc homine, qui verbo eos  
profigasset, in terram prostravisset & exissetque sanos, & incolumes.

**H**ic iam paulisper, ad te conversa vide quæso ô anima mea, quam im-  
patiens, quam sæva & vindictæ appetens sis, unico verbo ad iram ad  
contumeliosa verba, & ad tui ultionem expetendam commoveris & com-  
mota semel non potes loqui adversariis tuis. Certe hic Christus non de-  
dignatus alloqui vilissimum proditorem suum, eumque amicum dicere &  
dulciter osculari: deinde etiam cæteros inimicos amice admodum inter-  
rogavit, dicens: *Quem queritis?* cum surrexissent prostrati, ut eis locum resip-  
iscentiæ daret licet sciret non emendandos. Tu autem præteris prox-  
imos tuos, eis loqui contemnens, talique dedignatione seu aspernatione ad  
odium maius eos invidiamque provocas, sicque animas eorum perdis,  
quas amicabili aspectu & suavi verbo placare & ad charitatem commo-  
vere posses: certe sic non fecit Christus, Dominus meus, qui etiam inimi-  
cos suos amice admodum affatus est, ut lucraretur animas eorum, & do-  
ceret nos mansuetudinem admiscere correptionibus, potuisset sane ter-  
ram scindere & reprobos demergere aliisque modis ulcisci, sed maluit ad  
terram affligere nobis in exemplum ut nostros inimicos potius ad resipil-  
centiam trahere quam delere studeremus.

§. 19. *Quem queritis.* v. 7.

Cum iam surrexissent inimici una voce Christi retro pulsi & in ter-  
ram cadere coacti, & starent ad vindictam parati, odiis ferociore, amice